DE

LEGE IULIA ET PAPIA POPPAEA

PARTES SELECTAE.

I. DE ORIGINE LEGIS.
II. DE POENIS CAELIBATUS ET ORBITATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES AB ILLUSTRI IURISCONSULTORUM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

DIE XI. MENSIS AUGUSTI ANN. MDCCCLV.

HORA XII. PUBLICE DEFENDET

RODERICUS COMES POTOCKI
REISENSIS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

P. I. MARX, DR. IUR.
G. a SEYDLITZ, STUD. IUR.
M. POPIEL, STUD. IUR.

BONNAE
FORMIS I. F. CARTHAUS.

PATRI CARISSIMO.

B. L.
S.

Non puto, laborem studiosis iuris Romani ingratum me suscipisse, quanquam is veterum praecipue scriptorum causa susceptus est, si passim recentiores etiam in auxilium advocabo. Plurima enim, quum iam ab aliis excogitata atque pronuntiata sint, id potissimum egi, ut praecipue, quae ad caelibatus et orbitatis poenas spectant, in libris passim obiter que dicta colligerem et disponerem. Qua in re sententias propositas ut Graecorum et Romanorum scriptorum locis quantum potui adcurate confirmem, operam dedi. Itaque ne mireris, si quae commemoratu tibi digna videantur nomina recentiorum iurisconsultorum, interdum desiderantur: cur maxime veterum scriptorum testimoniis usus sim, causa est ea, quod eis hic tractatus maiori fuerit curae, quam recentioribus.

Sed praeter omnes huc refero Heineccii Commentarium ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam, subtiliter diligenter que scriptum; tum doctissimi viri Ramos del Manzano, Hispani,

Commentarios et Reliquationes ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam, quos adire Heineccio non contigit; dein Lipsii excursum ad Taciti Annales, et Godofredum in quatuor fontibus iuris civilis romani, denique inter historias iuris romani celiberrimas, quas protulit aetas nostra, praecipue sum usus historia iuris Romani privati edita a Sigm. Guil. Zimmern tom. I. §. 172. sq.

INDEX.

Prooemium.

§. 1.

Quum bellorum civilium tempus incidisset, Marii Sullaeque legiones sanguinis avidissimae caedem inferrent civibus, iuventus optima horribili inter Caesarem et Pompeium bello gesto foede periret eoque optimorum civium numerus deminueretur*), denique quum tertia huius cruentae tragoediae scena Antonii atque Octavii debellata esset, profecto quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani, quippe quod ab armis nusquam quies perque omnem terram bella furerent, nisi aerumnis publicis quasi defensor obiectus esset unus vir ad illa tempora natus Caesar Augustus, cui divinitus credo, respublica sustinenda tradita est. Nam imperatoria potestate dum fruebatur, aerarium

---

*) Cf. Appian. lib. II de bellis civil. 102 censu facto a Caesare vix dimidio minus capitum censum est, quam ante bellum civile:

Τὸ δε τοῦ δήμου πλῆθος ἀναγραψάμενος ἐς ἥμισυ λέγεται τῶν πρὸ τοῦδε τοῦ πολέμου γενομένων εὑρεῖν. Caesaris animum magnam curam subiisse ut huic malae civitatis conditioni succurreret, praemia illa, iis quibus plures essent liberi proposita testimonio sunt. Cf. Sueton. Iul. Caes. cap. XX. maximeque Dio Cassius Hist. lib. XLIII. 25: *ἐπειδή τε ὀλιγανθρωπία διὰ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος ..... πολυπαιδίας ἆθλα ἀπέθηκεν.*

consumptum ac civium numerum perquam vidit exiguum et comitem rei publicae labentis flagrante haud modice luxuria, morum dissolutionem, vel perniciosiorem liberorum procreationi omnibus bellis. Cui rei celeriter ac fortiter repugnetur necesse fuit. Qua bene perspecta Augustus quod erat difficillimum removendi illud malum nunquam spem abjecit multosque per annos Romanis reluctantibns operam malorum depellendorum sibi sumpsit.

Itaque pervenimus ad leges clarissimas Juliam de maritandis ordinibus et Papiam Poppaeam, quarum selectas partes quantum potero examinare constitui. Primum quae origo legisque aetas sit, res juris historiam inquirenti gravissima, tum, gravissimum quaestionis meae caput, quae qualesque poenae caelibatus orbitatisque pronuntiatae sint, accurate circumspicere libet.

Pars prima.

§. 2.

De Iuliae et Papiae Poppaeae legis origine.

Leges Iulia et Papia Poppaea, quarum nomina plerumque coniunctim vocantur, non eodem tempore esse latas neminem fugit. Quamvis utriusque finis idem est, altera tamen nihil nisi amplificationes illius atque graviores continet poenas. Illi nomen est lex Iulia de maritandis ordinibus, huic Papia Poppaea; quae qualesque utriusque fuerint causae quandoque latae sint, paucis exponam.

Has igitur leges clarissimas, quae eo spectabant, ut ad morum integritatem servandam, libidinibus repulsis, procreationi liberorum faveretur, aerariique communis opes augerentur, Caesar Augustus primum tulit, sexies Consul, anno a. u. c. DCCXXVI, ut testimonio Taciti in Annal. lib. III cap. XXVIII probatur.

„Sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat abolevit, deditque iura, quis pace et principe uteremur. Acriora ex eo vincla, inditi custodes, et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantiam teneret.“

Non idem hac de re sentit Heineccius *) vir summus, qui anno DCCXXXVI demum has leges latas dicit. Sed quare in alteram sententiam, legem sexto Augusti consulatu esse latam inducar, mihi etiam auctor est Dio Cassius in lib. LIV c. 16 qui Caesarem Augustum anno urbis DCCXXXVI Cornelio et Publio Lentulo Coss. graviorem multam innuptis utriusque sexus imposuisse et *iterum* nuptiarum et multitudinis praemia constituisse tradidit. Verba eius haec:

Τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτιμία ἐτέταξε καὶ ἔ μ π α λ ι ν τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιΐας ἆθλα ἔθηκεν. Quod vero vocabulum *ἔμπαλιν* Heineccius, ut videtur, ad Iulii Caesaris decreta retulit, neque eius vim etiam in primam sententiam, quae de caelibum poenis agit, valere intellexit. Iulii Caesaris enim tempore neque eiusmodi decreta nobis occurrunt, neque ipse ad quae vocabulum *ἔμπαλιν* referri potest, excogitavit nova ac pertulit.

Ad haec adde, quae Propertius in lib. II carmen VI v. 1 — 3 eximius ille splendidae Augusti aetatis laudator ad puellam de lege nostra anno DCCXXX **) hunc in modum cecinit:

„Gavisa es certe sublatam, Cynthia legem
Qua quondam edicta flemus uterque diu
Ne nos divideret.“

Ex his versibus etiam discimus a Caesare Augusto anno a. u. c. DCCXXVI hanc legem non esse perlatam, quod inter alios scriptores Suetonius quoque in vita

---

*) Coment. ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam lib. I, c. 3

**) Qui annus gravissimis argumentis a Nobbe in Obs. in Prop. carm. spec. Lipsiae 1817, 8. pag. 36. certus comprobatur.

Augusti cap. 34. satis testatur: „Hanc (legem de maritandis) ordinibus, quam aliquanto severius quam ceteras emendasset, prae tumultu recusantium perferre non potuit.“

Sed Augustus non is fuit, quem impedimenta et difficultates deterrerent; at potius laudanda est eius et perseverantia et constantia, qua leges nostras non minus rogavit pertulitque quam animus strenuus, quo consilium firmissime asseveravit, ita ut hac in re non solum temporibus serviret, sed etiam regnandi cupiditati; quum omnium unus Romanae civitati imperare studeret. Itaque anno a. u. c. DCCXXVI iterum has leges, quippe quum senatus opponeret, non veritus sit, suasit eoque loco non est praetereunda de rogatione eiusque auctoris constante pertinaceque animo Dionis Cassii perquam elegans narratio.*)

Tandem Caesarem Augustum de adversariis suis victoriam reportasse pro certo haberi potest. Quo ut

---

*) *καν τούτῳ καταβοήσεως ἐν τῷ συνεδρίῳ περίτε τῆς γυναικῶν καὶ περὶ τῆς τῶν νεανίσκων ἀκοσμίας, πρὸς ἀπολογίαν δή τινα τοῦ μὴ ῥαδίως δι' αὐτὴν τὰς τῶν γάμων συναλλαγὰς ποιεῖσθαι γενομένης καὶ ἐναγόντων αὐτὸν καὶ ἐκείνην ἐπανορθῶσαι, χλευασμῷ ὅτι πολλαῖς γυναιξὶν ἐχρῆτο. τὸ μὲν πρῶτον ἀπεκρίνατο αὐτοῖς, ὅτι τὰ μὲν ἀναγκαιότατα διώρισται, τὰ δὲ λοιπὰ ἀδύνατόν ἐστιν ὁμοίως παραδοθῆναι. ἔπειτα δὲ ἐκβιασθεὶς εἶπεν ὅτι, „αὐτοὶ ὀφείλετε ταῖς γαμεταῖς καὶ παραινεῖν καὶ κελεύειν ὅσα βούλεσθε· ὅπερ που καὶ ἐγὼ ποιῷ.“ Ἀκούσαντες οὖν ταῦτα ἐκεῖνοι, πολλῷ μᾶλλον ἐνέκειντο αὐτῷ βουλόμενοι τὰς παραινέσεις, ἃς τῇ Λιουΐᾳ παραινεῖν ἔφη, μαθεῖν. καὶ ὅς, ἄκων μεν, εἶπε δ' οὖν τίνα καὶ περὶ τῆς ἐσθῆτος, καὶ περὶ τοῦ λοιποῦ κόσμου, τῶν τε ἐξόδων καὶ τῆς σωφροσύνης αὐτῶν· μηδ' ὁτιοῦν φροντίσας, ὅτι μὴ καὶ τῷ ἔργῳ αὐτὰ ἐπιστοῦντο. . . . .*

perveniret discederetque superior multa graviora quae sibi videbantur ac dura tollenda atque abolenda esse sagaciter perspexit. Quo factum est ut caelibatus et orbitatis poenas leniret, patrum nuptorumque lucra augeret, et Romanis primum triennium, tum biennium daret, ut inter hoc temporis spatium legibus adhibendis, cognita perceptaque non modo haberent praecepta, sed etiam nuptiis inter se iungendis liberisque procreandis poenas, quae in eos qui caelibum modo vivere mallent, impendebant, effugere possent.

Leges vero, quas dixi etiam tum reapse perlatas esse testis Horatius est, cuius versus circa annum a. u. c. DCCXXXVII in carmine saeculari in Caesaris Augusti honorem scripti hi sunt:

„Diva producas sobolem patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Geminis, prolisque novae feraci
Lege marita.“

Idem probat Suetonius l. c. legem primum quidem non acceptam esse anno a. u. c. DCCXXVI, sed nihilominus a Caesare Augusto maiore studio anno a. u. c. DCCXXXVI esse perlatam „nisi adempta demum lenitave parte poenarum et vacatione triennii data, auctisque praemiis.“

Post vacationem trium annorum alteram duorum fuisse ex Caesaris Augusti oratione ipsa patet, quam ad caelibes anno a. u. c. DCCLXII habitam Dio in lib. LV cap. 7 nobis reliquam fecit:

„*Καὶ οὐδὲ ἐς ταῦτα μέντοι κατήπειξα ὑμᾶς ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον τρία ἔτη ὅλα πρὸς παρασκευὴν ὑμῖν ἔδωκα. τὸ δὲ δεύτερον δύο.* (Neque festinare vos quicquam coegi primum toto triennio, deinde biennio ad parandam rem dato.“)

Anno igitur a. u. c. DCCXLI quinquennio finito lex illa de maritandis ordinibus vim exercere coepit et eo inde tempore ius ratumque erat sine ulla interpellatione ad annum usque a. u. c. DCCLXII, quo equites eam tollendi rogationem fecerunt. Quo factum est, ut Caesar Augustus petentibus nihil fere aliud, nisi legem, quam Papiam et Poppaeam nominamus, concederet, qua plurimas legis Iuliae regulas amplexus est. De qua re sequamur igitur narrationem Dionis Cassii optimi ac fidissimi illius aetatis scriptoris. (cf. lib. LVI initio.) Anno a. u. c. DCCLXII Quinto Camerino et C. Sabino Coss. Tiberius victor triumphansque bello Pannonico feliciter gesto (cf. Sueton. Tiber. cap. 17) Romam rediit. In eius honorem ludi celebres eduntur, quibus et omnium animi exhilarati sunt et Augustus imprimis maximo affectus est gaudio. Itaque equites tempus idoneum ad leges removendas rati, a Caesare Augusto etiam atque etiam petierunt, ut legem Iuliam perquam molestam tolleret. Quos autem equites, quorum frequentia ingens fuit, Caesar Augustus quum divisisset in duas partes et caelibum et nuptorum, clarissimas habuit orationes (cf. Dio Cassius lib. LVI c. 2 sq.) Primum seorsum alloquitur nuptos maximisque effert laudibus donatque eis, quippe qui legibus suis obsecuti essent, magna praemia; tum illos quoque seorsum, quorum numerus, tametsi leges amplius iam XX annis vigebant, tam longe maximus fuit, compellit atque gravissimis verbis unumquemque increpat, ita ut nihil admiratione dignius, quam summa Caesaris Augusti in Romanos potestas.

„*Καὶ τότε μὲν τοιαῦτα* (scribit Dio lib. LXI. c. 10 enarratis duabus Augusti orationibus) *ἀμφοτέροις ἀςτοῖν διελέχθη μετὰ δὲ τοῦτο τοῖς μὲν τὰ τέκνα ἔχουσι τὰ γέρα προςεπηύξησε, τοῖς δὲ γεγαμηκότας ἀπὸ τῶν ἀγύνων τῷ*

τῶν ἐπιτιμίων διαφόρῳ διεχώρισε καὶ ἐνιαυτὸν ἑκατέροισ, ἐς τὸ τοὺς πειθαρχήσαντας οἱ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀναιτίου, γενέσθαι προςεπήδωκε. (Postquam ad hunc modum cum utrisque esset locutus, liberos habentibus praemia auxit, et mulcta maritos a caelibibus secrevit, annuo amplius spatio concesso, intra quod, qui eius iussis parere coepisset, culpa vacaret.)" Idem Dio tum Papiae Pappaeae legis exponit origenem:

„*Κὰκ τούτου ὅ τε Πάππιος καὶ ὁ Ποππαῖος νόμος ὑπό τε Μᾶρκου Παππίου Μουτίλου καὶ ὑπὸ Κυΐντου Ποππαίου Σεκούνδου τῶν τότε ἐν μέρει τοῦ ἔτους ὑπαζευόντων, ἐτεθησαν καὶ συνέβη γὰρ, ἀμφοτέρους σφᾶς μὴ ὅτι παῖδας, ἀλλὰ μηδὲ γυναῖκας ἔχειν· καὶ ἀπ' αὐτοῦ τούτου ἡ ἀνάγκη τοῦ νόμου κατεφωράθη.*" (Inde quoque lex Papia Poppaea a. M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo Secundo lata est; qui parte eius anni consules, uterque neque liberos neque uxorem habebant: quo ipso deprehendi potuit, quam ea lex necessaria fuisset.")

Quae argumenta, quum satis qua ratione lex orta sit, probent, etiam alia enumerare libentius supersederem, nisi operae pretium esset historiam legis perfectam quantum possim reddere. Itaque huc refero Taciti annales lib. III c. 25.

„Relatum deinde de moderanda Papia Pappaea quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat."

nec non Isidori lib. V. origg. c. 15: „sub Octavio Caesare suffecti consules Papius et Poppaeus legem tulerunt quae a nominibus eorum appellatur Papia et Poppaea, continens parentum praemia pro suscipiendis liberis."

Stat igitur sententia anno a. u. c. DCCLXII legem Papiam Poppaeam, complectentem legem de maritandis

ordinibus Iuliam, quae nunc coniunctim dicuntur lex Iulia et Papia Poppaea, latam esse.

Saepe etiam ex singularibus partibus singularias regulas continentes, vocatur lex nostra vel caducaria vel decimaria etc. cf. Gaius Comment. lib. II. §. 111, 144, 286. Ulpianus fragm. tit. XXVIII. §. 7 in fine. Utraque vero appellantur, ni fallor, propter magnam gravitatem „leges“ (κατ'ἐξοχὴν) cf. Princ. instit. de nuptiis (1. 10). lex 17 Dig. (23, 4.)

Si igitur quae de legis aetate a me disputata sunt, breviter complector, quae ex iisdem sequuntur, fere haec sunt:

Anno a. u. c. DCCXXVI Augusto et M. Agrippa Coss. primum lex Iulia ab imperatore rogatur quidem, neque vero perfertur.

Anno a. u. c. DCCXXXVI Cn. et P. Lentulo coss. lex perfertur quidem, sed vacatio trium annorum, denique duorum conceditur.

Anno a. u. c. DCCXLI lex vim exercere incipit non parvam.

Anno a u. c. DCCLXII prorsus dissolvitur ac convertitur in Papiam Poppacam, ita quidem, ut coniunctim nomine Iuliae et Papiae Poppaeae accepto permaneret.

Omissa nunc legis aetate ad ea recognoscenda transeamus, utrum hae leges in comitiis tributis an centuriatis rogatae sint, quod non liquet. Quare de hac re pauca modo referre mihi liceat. Patet Caesarem Augustum semper legi perferendae maximam navasse operam. Comitia centuriata a consule, tributa autem a tribunis esse convocata, quisque non ignorat. Quae ex ipsa re haud dubie, ut opinor,*) deduci possint videamus:

*) Cf. Gitzler disput. de lege Jul. et Pap. Popp. cap. I, §. 3.

Non dubito, quin Augustus legem in iis comitiis rogaverit, quae convocare suum erat. Anno autem DCCXXVI consulatu functus est, eamque ob causam in comitiis centuriatis tulit. Qui, quum in eis non vinceret ad veritatem propius accedit, eum iterum rogationem in comitis tributis fecisse; et reapse anno DCCXXXVI dignitate tribuni plebis affectus est, quum iam antea, si Dionem Cassium in lib. LIII. c. 32 sequimur auctorem, a senatu appellatus est tribunus perpetuus.

Legem vero Papiam Poppaeam a M. Papio Mutilo et C. Poppaeo Secundo centuriatim esse latam sine ulla dubitatione confirmaverim.*)

---

*) Ad haec adde Dio Cass. l. c. et Isidor orig. lib. IV, c. 15.

Pars altera.

De caelibatus orbitatisque poenis.

§. 3.

Introductio.

Caelibatus et orbitatis poenas questionis meae quum summum caput esse velim, liceat mihi, pauca praefari de illis rebus, quae praeter hominum multitudinem bellis minutam legislatores, ut caelibes orbosque punirent, haud dubie coëgerint. Romanos praecipue ultimis reipublicae temporibus matrimonii contrahendi liberorumque procreationis magnum odium ceperat. Cuius rei causae, quas melius e legibus liberae rei publicae temporibus ad illud removendum datis paulo inferius cognoscemus, fuerunt multae.

Sub finem rei publicae etiam romanas matronas non extra culpam fuisse credo, ut viri matrimonium cum eis contrahendum vererentur. Quum igitur Romanorum arma praecipue in Asia in dies proferrentur, divitiae ingentes redibant ex regionibus opulentis in urbem et asiatica luxuries paullatim antiquam removebat morum vestitusque simplicitatem, et omnium, et praecipue mulierum, quarum animus celeriter cultus iactationi indulsit virorum auctoritate potestateque contempta. De hac re

magnopere questi sunt scriptores veteres, maximeque Plautus „Miles gloriosus“ act. III. sc. 1 v. 91 sq. et Iuvenalis sat. VI eadem de re egregie scripta, qua v. 28 optime Romanorum opinio de matrimonio explicatur:

„Certe sanus eras? Uxorem Posthume ducis?“

Itaque Romani talium nuptiarum cum feminis effrenatis sumptuosisque ineundarum desiderio non capiebantur neque mirandum est, quod concubinas amore amplectebantur, quas ex arbitrio tractabant, id quod in matrimonio legitimo saepe non factum esse scimus.

Deinde reapse certa commoda caelibatum orbitatemque sequebantur. Nam propter hereditatem orbi ab amicis, sociis affinibusque honorabantur ac blanditiis affecti officio quoque fruebantur cultuque. Cf. Plautius Miles gloriosus“ act. III. sc. 1 v. 111 sq.; talique modo vitam maritorum curis liberam, ab amicis studiosissimis et admiratoribus circumdati degebant. Praeter id, quod haec amicitiae officia non ipsorum sed hereditatis causa fiebant, talis vita haud dubie apparuit iucundissima.

Ad honores quoque, quum nemo hereditatem relicturis suffragium denegaret, facilis fuit aditus. Cf. Tacit. annal lib. XV. c. 19. Vel in iure publico contra orbum non semper iuris et iudiciorum aequitas fuit incorrupta, sed saepe eis fautum est. Cf. Tacit. annal. lib. XIII. c. 52. *)

---

*) Inter causas Romanorum odii in nuptias Heineccius in Comment. ad leges Iul. et Pap. Popp. lib. I, c. 2, 12. in fine, hanc quoque enumerat, fuisse quosdam, qui amore philosophiae sapientiaeque et studio vitae altioris matrimonium inire noluerint. Sed qui id causam nuptiarum fugiendarum professi sunt, eorum numerum admodum parvum fuisse nemo negat. Rei publicae salus ab eis certe in periculum non vocata est, neque quidquam in

Quum vero et multa nuptiis ac procreationi liberorum repugnarent, et magno liberorum numero ad rem publicam servandam atque augendam opus esset, huic amplificandae consulendum fuit simulque cavendum ne rariores fierent nuptiae. Alterum consequi voluerunt legislatores praemiis *πολυτεκνίας* alterum vero poenis orbitatis caelibatusqne propositis.

§. 4

De poenis caelibatus orbitatisque liberae rei publicae temporibus.

Certissima, quamvis perquam rara argumenta sunt, liberae rei publicae tempore orbitatem caelibatumque vituperatione et etiam poenis dignum ideoque detrimento affectum esse. Augustus in oratione sua in ordinem equestrem, de qua iam in prima parte diximus, ita dicit: „*ἦν μὲν γὰρ οὐδὲ πρόθεν ἐξὸν ἀμελεῖν τισι παιδοποιΐας καὶ γάμων. και γὰρ ἀπ' ἀρχῆς εὐθὺς ἅμα τῇ πρώτῃ τῆς πολιτείας καταστάσει ἀκριβῶς περὶ αὐτῶν ἐνομοθετήθη. Καὶ μετὰ τοῦτο πολλὰ καὶ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ ἔδωξεν, ἃ περιττὸν ἂν εἴη καταλέγειν.* (Et quidem quum neque ante me cuiquam permissum erat coniugium et sobolem negligere: quum ab initio statim sub primam rei publicae constitutionem de ea re legibus diligenter sit cautum, multaque deinde de eadem senatus populusque statuerit, quae

---

eos severas illas leges, quibus caelibatus et orbitas rei familiaris damno puniebatur, valuisse credere licet. Qui enim sapientiam causam neque vero praetextum, quare matrimonio uti noluerit, proponit, non facile rebus familiaribus amissis ad nuptias coges.

recensere supervacuum esset.) Dio Cassius lib. LVI. c. 16." — Sed valde dolendum, quod legum et senatus consultorum quae Augustus in oratione commemorat, nihil ad nos pervenit.

Praecipue liberorum procreationi consulere caelibatumque defendere, censorum erat, iis que cura poenarum, quae sequebantur caelibatum erat tradita. Inde insignis illa censorum quaestio:

„Ex animi tui sententia, tu uxorem habes?"

Cf. Gellius: Noctes attic. lib. IV. c. 20. Cicero: De oratore lib. II. c. 64. et De legibus c. 3, 4, officia censorum ex XII. tabulis enumerans:

„Caelibes esse prohibento."

Idem Plutarchus: M. Por. Cato c. 16: „*Οὔτε γὰρ γαμὸν, οὔτε παιδοποιΐαν τινι, οὔτε δίαιταν, οὔτε συμπόσιον ᾤοντο δεῖν ἄκριτον καὶ ἀξέταστος ὡς ἕκαστος ἐπιθυμίας ἔχοι καὶ προαιρέσεως.*"

Censores autem his legibus plane suffecisse, plures veterum loci testantur. Primi hac in re censores memorati: M. Furius Camillus et M. Posthumus Regillensis anno a. u. c. CCCLI. de quibus Valerius Maximus II. lib. IX. 1. tradit:

„Camillus et Posthumus censores aera poenae nomine eos qui ad senectutem caelibes pervenerunt, in aerarium deferre iusserunt: iterum puniri dignos, si quo modo de tam iusta constitutione quaeri sunt ausi; quum in hunc modum increparentur: natura vobis, quemadmodum nascendi ita gignendi legem scribit: parentesque vos alendo, nepotum nutriendorum debito (si quis est pudor) alligaverunt. Accedit his, quod etiam fortuna longam praestandi huiusce muneris advocationem estis assecuti; quum interim consumpti sint anni vestri et mariti et patris no-

mine vacui. Ite igitur et nodosam exsolvite stipem utilem posteritati numersae."

De eadem re etiam Plutarchus loquitur in vita Camilli c. 2:

„μνημονεύεται δ' αὐτοῦ ὄντος καλὸν μὲν ἔργον τὸ τοὺς ἀγάμους, λόγοις τε πείθοντα, καὶ ζημίαις ἀπειλοῦντα, συγκαταζεῦξαι ταῖσ χηρευούσαις γυναιξί
(Huius recensetur unum ex eo in magistratu eximium factum, quod caelibes partim blandae appellando partim denuntiando mulcta, viduis copulaverit.)"

Praecipue autem Q. Caecilius Metellus Censor (Numidicus teste Gellio I. 6. Macedonicus Livio epit. 59) contra caelibatum egisse videtur. Is enim ad populum (non ad senatum, ut apparet ex fragmento orationis nobis a Gellio. Noctes attic. I. 6 servato*), in quo appellat auditores Quirites, non autem patres conscriptos) verba fecit de hac re tam praeclara, ut Augustus, legem Iuliam de maritandis ordinibus rogans, ea putaret digna, quae a se repeterentur. Cf. Livius de hac re epit. 59:

„Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum causa. Exstat oratio eius, quam Augustus Caesar quum de maritandis

---

*) Hoc fragmento ita legitur:
„Si sine uxore possemus Quiretes esse, omnes ea molestia careremus, sed quoniam natura ita tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit perpetuae potius, quam brevi voluptati consulendum . . . . . ." Illo igitur tempore femina malum quasi necessarium putabatur, neque solum Romanis, sed etiam Graecis commune; cf. Menander p. 190.
„ἀνάγκη γὰρ γυναῖκ' εἶναι κακόν, ἀλλ' εὐτυχὴς ἐσθ' ὁ μετριώτατον λαβών."

ordinibus ageret velut in haec tempora scriptam in senatu recitavit." *)

Quales autem fuerint poenae, quibus caelibes afficerentur, constat, iis inter alia mulctam quandam fuisse solvendam, quae *aes uxorium* appellatur. Cf. Festus s. v. Uxorium:

„Uxorium pependisse dicitur, qui quod uxorem non habuerit, aes populo dedit."

Quantae hae mulctae fuerint, certe doceri nequit; credere licet illas non semper easdem fuisse, sed potius prout graviora vel mitiora facta vel puniendae personae culpa eas alternasse.

Haec sunt, quae cognita habeo, de caelibatus et orbitatis poenis, quales fuerint liberae reipublicae temporibus.

Relinquamus itaque aridam hanc iuris Romani arcana investigaturo provinciam et progrediamur demum ad studium nimis gravium legis Iuliae et Papiae Poppaeae de hac re praeceptorum.

§. 5.

Quas poenas caelibatui et orbitati irrogavit lex Iulia et Papia Poppaea.

Quamvis poenae legis nostrae caelibibus orbisque impositae eodem consilio eundemque ad finem excogitatae sint et veri quam simillime eodem capite tractatae esse videantur, tamen melius ut perspiciantur ac clarius explicentur, in eis, quae investigare incepimus, secerna-

---

*) Cf. Sueten, in Octav. c. 89.

mus; et prima hac in quaestione de caelibum, in altera de orborum poenis disputatio mea futura est.

Quae fuerint caelibum poenae?

Si igitur de poenis, quas lex Iulia et Papia Poppaea in caelibes constituerit, disserere in animo est, ante definire placet, quale sit hominum genus, quibus lege nostra nomen caelibum inditum esse videatur. Caelibes omnes dicuntur et viri et mulieres innupti innuptaeve, neque solum qui nunquam nuptiis iuncti fuerant, sed etiam qui vel morte, vel divortio amiserant coniugem. Sic Martialis lib. IV. ep. 69. „quendam caelibem factum esse“ dicit et Claudius (Sueton. in Claud. c. XXVI.) affirmat, „quatenus sibi matrimonia male cederent permansurum se in caelibatu.“ Etiam de imperatore Galba prodidit idem Suetonius (in vita Galbae c. V.) „Verum amissa uxore Lepida . . . . . . remansit in caelibatu.“

Aliud argumentum matrimonio divortio solutos in caelibum numero habitos, hoc est: iisdem poenis affecti sunt ac illi quum alterum matrimonium non inirent. Et si ex supra dictis populi Romani status non perspicuus fieret, tempus illud, quo divortio separatis usque ad alterum nuptiale coniungendum frui licebat, sane ridiculum propter brevitatem appareret. Itaque Ulpianus fragm. tit. XIII.:

„Feminis lege Iulia a morte viri anni tribuit vacationem: a divortio sex mensium. Lex autem Papia a morte viri biennii, a repudio anni et sex mensium.“

Quo loco Ulpianus non nisi de femina loquitur; quod vero ad viros attinet, eis nulla fuit vacatio; quae res a Cuiacio lib. VI. Obss. c. 37. eam ob causam facta esse

animadvertitur, feminas plerumque legibus benignoribus lenioribusque uti solere. Quae causa non ita se habere mihi videtur, nam etsi haec legum clementia plerumque etiam de feminis contendi posse videatur qua viri caruerint, tamen quod legem Papiam et Poppaeam attinet, affirmari nullo modo potest.

Feminis enim detrimentum quoddamodo maius quam viris allatum esse, eadem lege certo patet. Eius igitur vacationis causa non nisi metus fuit, ne partus, si quis esset, sive modo separatae sive morte viro orbatae et denuo nupturae feminae perturbaretur.

Itaque ut demonstravimus caelibes et dicuntur et habentur qui viri carebant uxore et femiuae carentes marito.

Caelibum notione e legis sententia definita, revertamur ad poenas, quas in eos statuerit lex.

Ad has multi veterum scriptorum loci respiciunt. cf. Tacitus Annal. lib. III. c. 25.:

„Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus, post Iulias rogationis incitandes caelibum poenis et augendo aerario sanxerat."

Dio Cassius lib. LIV. c. 16. de Augusto dicit:

„βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε."

Et in lege 1. Cod. (8. 58) loquitur Constantinus de caelibibus his verbis:

„Imminebantur legum terroribus." Quales igitur fuerint hae poenae, quae hunc in modum terrores ex imperatoris dicto efficere potuerint, hic ob oculos ponatur. Quaenam igitur legis Iuliae et Papiae Poppaeae praecepta hac de re fuerint, si ex fontibus cognosci libet, haec fuisse facile ut credam inducar: *)

---

*) Cf. Heineccius l. c. lib. II, c. 36.

„Caelibes nisi intra centum dies legi paruerint neque hereditatem neque legatum ex testamento nisi proximorum genere capiunto."

Quibus igitur veterum scriptorum testimoniis haec sententia sustineatur, in iudicium vocari liceat.

Ante omnia illud ingeniose Plutarchi dictum, non sine acerbis facetiis (περὶ φιλοστοργίας) commemoratu dignum esse videtur:

„Ῥωμαίων πολλοὶ γαμοῦσι καὶ γεννῶσι οὐχ ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν, ἀλλ' ἵνα κληρονόμειν δυνῶνται. (Romanorum plerique uxores ducunt et liberos procreant non ut heredes habeant, sed ut heredes ipsi esse possint.")

Tertullianus: De monog. c. 16 scribit: „Aliud est, si et apud Christum legibus Iuliis agi credunt et existimant caelibes et orbos ex testamento Dei solidum non posse capere."

Et Sozomenos hist. ecclesiast. lib. I. c. 9.:

„Νόμος ἦν Ῥωμαίοις παλαίοις ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν, τῶν ἴσων ἀξιοῦσθαι κολύων τοὺς ἀγάμους, τοῖς μὲν τοιούτοις περὶ ἄλλα τε πολλὰ καὶ τό μεδὲν κερδαίνειν ἐκ διαθήκης, τοὺς μὴ γένειν ἐγγυτάτω προσήκοντας ...... (Lex veteribus erat Romanis, quae eos, qui intra annum aetatis XXV. nondum inierant matrimonium, inter alia quidquam ex aliorum testamentis capere prohibebat, nisi essent cognatione proximi.")

Ulpianus tit. VVII. de Caducis idem confirmat, quippe quum significationem vocabuli caduci etiam gravis praecepti legis nostrae contineat:

„Quod quis sibi testamento relictum, ita ut iure civile capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, veluti cecidit ab eo: verbi gratia si *caelibi*, vel Latino Iuniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel caelebs legi paruerit vel Latinus ius Quiritium consecu-

tus sit: aut si ex parte heres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peregrinus factus sit."

Etiam Gaius qui huius praecepti fidem testatur, memoratu dignissimus est, Comm. II § 111:

„Caelibes quoque qui lege Iulia hereditatem legataque capere vetantur . . . . . ."

et tum II § 144; . . . . „aut propter caelibatum ex lege Iulia summotus fuerit ab hereditate," denique II § 288: „Caelibes quoque qui per legem Iuliam hereditates legataque capere prohibentur . . . . ."

Quum tot tantisque testibus sententiam supra commemoratam veram esse argumentati simus, neque ex aliis alias rationes quaeramus oporteat, eam in partes dividi atque examinari singulas lubet.

I.

„Caelibes, ut videmus, nisi intra centum dies legi paruerint . . . . ." *)

Ad illum Ulpiani supra laudatum locum alter prorsus ad rem perspicuus est. Tit. XXII § 3:

„Latinus Iunianus, siquidem mortis testatoris tempore vel intra diem cretionis**) civis Romanus sit, he-

*) *Legi parere* nihil aliud quam coniugium inire significat; itaque liberabantur caelibes a periculo hereditatem amitendi si intra centum dies nupti erant.

**) Hunc esse centesimum docet Ulpianus h. t. §. 27: „Cretio, ait, est certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hereditatem nec ne: velut: Titius heres esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris poterisve, nisi ita creveris, exheres esto."

res esse potest . . . . . . *Idem iuris est in persona caelibis, propter legem Iuliam.*

Ex his igitur verbis patet, non esse hereditatem datam detractamque statim post mortem testatoris, sed post centum demum dies tabulis apertis. cf. lex 1. §. 1. Cod. (6. 51). Id vero si diligenter legis regulas consideramus cognosci posse videtur, Augustum usum fuisse clementia admodum magna, quae re vera ad nuptias augendas minus valeret, quum plurimi illa freti nuptias ineundi occasionem sine detrimento omitterent eaque de causa, quod si ex testamento illis hereditas delata esset, omni modo centum dies erant, ut coniugium facerent. Attamen sine hac clementia, qua populus fruitus est, lex omnino perlata non esset; itaque Augustum etiam hac in lege praecepto quodam contentum esse oportuit, quod eis, quae lege efficienda erant, contrarium fuit. Simulque secutusest exemplum praetoris, qui soleret, cretionem concedere extraneis vel deliberaturts de hereditate adeunda, lex 1 sq. Dig. (28. 8) iisque etiam qui agnoscere cupiebant bonorum possessionem. lex 1 § 9 sq. Dig. (38. 9).

II.

Prima capitis parte illustrata transeamus ad alteram: „Caelibes . . . . . neque hereditatem neque legatum ex testamento . . . . . capiunto.“ — Quod praeceptum verum esse ex iis locis, quos supra exposuimus*) satis puto intellectum, qua de causa ad eos reverti supersedeam.

---

*) Tertull. De monog. c. 16. Sozom. Hist. eccles. lib. I, c. 9. Ulpian. tit. XVII. Gaius II, §§. 111, 144, 286.

Hoc ipsum praeceptum fuit impedimento, quin lex difficillime perferretur. Quod si in accuratiorem inquisitionem vocamus id durum sane graveque quum omni Romano tum maxime divitioribus ordinibus fuisse videtur, quos quantopere legislator offenderit, iam praeclare annotat Plinius in Paneg: „Locupletes ad tollendos liberos iniqua praemia et pares poenae cohortantur; pauperibus educandis una ratio est. (bonus princeps.)“ Romanorum vita vitiis flagitiis que omnibus dedita, non solum divites, sed etiam pauperrimos penitus corripuerat, ita ut Augustus huic perniciei ingravescendi offerret impedimentum quodque necesse esset. Itaque quae excogitavit, ea non nisi divitibus erant impedimento, quid enim pauperibus causae, nuptias iungendi fuit, si caelibes detrimenti nihil caperent ex hac lege, nisi iacturam hereditatis, quam aut nunquam adipisci poterant, aut si quid rei familiaris spei esset, haud dubie perquam levis fuit. Pauper igitur poena non afficiebatur; eo magis autem offendebatur dives: inde eius pertinax legis oppositio, inde ille conatus rationesque eam refutandi, (de quibus infra) inde denique omnis vitae integritatis honestatis que odium, quas iis lex vi quadam imponere videbatur.

Recte igitur dixisse nobis videmur, Romanos omnes legi fraudem faciendi atque illudendi rationes conatos esse. Eam ob causam non solum hereditates, simulque, si Pauli legem 138 Dig. (d. V. S.) sequimur, bonorum possessio, sed legatum quoque iis sumebatur. Ad ea etiam fideicommissa esse numeranda a veteribus auctoribus, Ramos del Manzano (Reliquatio XXXIII. 5) et Heineccio (l. c. lib. II c. 21. 2) confisis Pauli dicto: „et fideicommissum et mortis causa donatio adpellatione legati continentur probari tentatum est. Quae vero hi coniecerunt, eorum Gaius nuper repertus, testis optimus,

omnia in aliam convertit sententiam. Ex eius enim Comm. libero II § 286 cognoscimus:

„Caelibes quoque, qui per legem Iuliam hereditates capere prohibentur, olim fideicommissa videbantur capere posse.“ Cuius rei si quaeras causam, qua haec excepta sint, eam intelligas velim, fideicommissa ad Augusti usque tempora ab oneratis praestari non necesse fuisse. Augustus statuit quidem ultimam testantis voluntatem etiam sub fideicommissi forma esse observandam; quod vero praeceptum ut posterius in lucem, quam lex nostra venerit, fieri potuit. Ideo magnus patebat campus, poenas caelibatus effugiendi; legati loco, ab eo inde tempore omnia bona caelibibus fideicommissa scribebantur. Quae res omnem modum transiisse videtur, postero enim tempore, quo legis nostrae regulae potius mitigatae quam incitatae nobis occurrunt, aliter prorsus res se habuit. cf. Gaius II § 288. „Sed postea S. Cto Pegasiano*) (caelibes) perinde fideicommissa quoque ac legatum hereditatesque capere posse prohibiti sunt.“

Ad altera, quae Romanis, ut caelibum poenas effugerent, usitata fuerint, aggredi iam placet. Lex illa Iulia de maritandis ordinibus in caelibum numero non retulerat sponsos; itaque sponsalibus ut poenae vitarentur, fieri potuit. Quare Romani quoque occasione utebantur, ut sibi desponderent consulto puellas, quarum aetas non matura erat nuptiis, quas inire eis saepissime in animo non erat. Tali modo et hac mente vitam caelibem degere eis licuit, res legi nostrae prorsus contraria. In qua re quatenus Romani iam Augusti tempore pro-

*) S. C. Pegasianum latum est Vespasiani imperatoris temporibus Pegaso et Pusione Coss. §. 3. Instit. (2. 23.)

gressi sint ex lege Papia Poppaea ab Augusto anno a. u. c. DCCLXII etiam eo consilio lata, ne fieret fraus eidem per cives, intelligi potest. cf. Dio Cassius, cuius narratio copiosissima in lib LIV haec est.

„*Ὥς δὲ οὖν βρέφη τινὲς ἐγγυώμενοι τὰς μὲν τιμὰς γεγαμεκότων ἐκαρποῦντο, τὸ δὲ ἔργον αὐτῶν οὐ προείχοντο; προςέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν, μηθ' ἣν οὐδὲ δυοῖν ἐτοῖν διελθόντων γαμήσει τις· τουτέστι, δεκέτιν πάντως ἐγγυᾶσθαι τόν γέ τι ἀπ' αὐτῆν ἀπολαύσοντα. Δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρηκαθάπερ εἶπον νομίζεται.*“

Atque ita intelligendum est id Dionis: Sponsalia illa, quae fiebant cum puellis decem annos natis, sola liberabant poena coelibatus, neque vero, si puella minor viro despondebatur, *quod fieri potuit.* Ultimam sententiae partem ex l. c. erui posse cuicque persuasum esse non posset, quum legamus ita: Augustum statuisse nulla sponsalia firma esse, quae biennio exacto nuptiae non sequerentur, hoc est, ut omni decennem despondere opus esset; at haec verba ad commoda tantum sponsionis referas, velim. Sponsionem puellarum minusquam decem annos natarum fieri posse, probat Augustus ipse. cf. Cornelius Nepos. vita Attic. cap. XIX:

„Nata est autem Attico neptis ex Agrippa cui virginem filiam collocaverat. Hanc Caesar vix anniculam Tib. Claudio Neroni, Drusilla nato, privigno suo, despondit.“

Eodem sensu proeceptum illud explicandum est, ita ut biennio exacto sponsionem sequerentur nuptiae. Sponsio igitur permanebat, proemiis modo carebant sponsi. *)

---

*) Quod nuptias attinet similiter res se habebat, ut infra exponemus

cf. lex 17 Dig (23. 1.): „Saepe iustae ac necessariae causae, non solum annum vel biennium, sed etiam triennium vel quadriennium et ulterius trahunt sponsalia . . . . . .“

Tali modo, quem diximus, Romani legem negligere non poterant, quum aut ad nuptias ineundas cogerentur, aut lege destinatas poenas ferrent, ut iam supra memoravimus: Caelibes nisi intra centum dies legi paruerint, neque hereditatem ex testamento, neque legatum capiunto.

III.

Unum restat ut pauca de legis proecepto quo ex testamento proximorum hereditates capiebantur, dicamus. Quinam fuerunt hi, cognatione proximi, de quibus dicit Sozomenos: „Caelibes nihil ex testamentis cepisse aliorum, *nisi essent cognatione proximi.*“ — Haec cognatio proxima imprimis omnes ad sextum gradum cognatos continet. Ulpianus, quo loco de hereditate viri et uxoris, quibus liberi deerant loquitur (Tit. XVI § I.): virum et uxorem inter se solidum capere posse.....si cognati inter se coierint usque ad sextum gradum, docet. Quatenus ideo ad sextum usque gradum cognatio erat extensa, alter alterius heres evadere potuit, ex quo sequitur, ut proeceptum quoddam fuerit, quod nomine proximorum cognatos ad sextum gradum continens, caelibibus, cognati heredes esse, concesserit.

Praeter cognatos usque ad sextum gradum erant excepti ex septimo sobrino, sobrinave nati, de quibus Vatic. fragm. § 216 nos docent:

„Excipiuntur autem lege quidem Julia cognatorum

sex gradus et ex septimo sobrino sobrinave natus, sed et rata per interpretationem, item qui in horum potestate sunt, quaeve in matrimonio, vel ii qui supra scriptarum personarum hoc gradu nos contingentium mariti sunt; item eorum, qui in potestate nostra cognati contingentes eos ea cognitione, quae septimum gradum non excedit."

Affines quoque eximebantur:
l. c. § 218: „Lege autem Papia hi affines excipiuntur, qui vir et uxor et gener et nurus et socer et socrus nunquam fuerunt. § 219. Et vitricus et noverca et privignus et privigna vel ipsorum vel eorum, qui in eorum potestate fuerunt."

IV.

Sed exposito de caelibum poenis capite, a quo anno Romanorum Romanarumque fuerit, ut lege inirent nuptias, dicendum est. — Iis quae supra a Dione Cassio tradita sunt: „Puellis enim duodecimus annus plenus ad nuptias definita aetas censetur" — Romanas caelibatus poenae vitandae causa iam duodecimo anno aetatis nuptas esse oportuisse satis ostenditur; at de Romanis viris dictu non tam facile est, quo aetatis anno feminam in matrimonium ducere debuerint. Illo supra laudato loco Sozomeni (his. Eccles. L. I. Cap. 9.) legimus quidem ita: „lex erat Romanis, quae eos, qui intra XXV annum nondum inierant matrimonium, inter aliorum quidquam ex aliorum testamentis capere prohibebat." —

Id igitur Romanos annum vicessimum quintum degentes nuptias inire obligatos fuisse, Sozomenos agnoscit, cui tamen fides non est habenda, cum, ut plurimis

Ulpiani locis legitur, aetatis annus vicesimus quintus non modo nuptias sed potius liberos expeteret (de quibus infra). — Qui annus quum necessitati paternitati esset, idem nuptiarum esse non potuit, nam hoc naturae morumque integritati prorsus contrarium fuisset. Quod quidem ita non esse et a Sozomeno paternitatis annum putatum esse illum nuptiarum verisimile est, aut quod potius credas, in ejus animo praeceptum modo legis Juliae de maritandis fuisse ordinibus, cujus natura lege Papia non modo mutata est, sed acerbe severeque astricta. Itaque Tertulianus nostrae legis adversarius in apol. c. IV ait:

„Nonne vanissimas Papias leges, quae ante liberos suscipi cogunt, quam Julia matrimonium contrahi post tantae auctoritatis senectutem heri Severus, constantissimus princeps, exclusit.“

Quid igitur haec verba ad rem nostram proferunt? Lege Papia annum priorem liberis procreandis esse constitutum, qui lege Iuliae non nisi nuptiis ineundis esset destinatum.

Ut vero feminarum pubertatis, sic quoque virorum rationem lege habitam, ideoque annum decimum quartum esse destinatum quam proxime ad verum accidere videtur. Id etiam probatur Princ. Inst (1. 10):

„Iustas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum proecepta legum coëunt, masculi quidem *puberes*, feminae autem viri potentes.“

cf. etiam Ulpian. Tit. V, § 2:

„Iustum matrimonium est, si inter eos qui nuptias contrahunt, connubium sit, et tam masculus pubes, quam femina potens sit.“

Ab eo igitur tempore, quo Romani nupti esse poterant, eos etiam reapse connubio coniunctos esse opor-

tuisse, si caelibum poenas vitare vellent, certissimum est. Acerbe severeque lege puniebantur vir XIV et femina XII annorum, si erant innupti eodem modo ac illi maiores natu innupti, cum lex illos quoque significaret caelibes, qui omnes nulla aetate excepta easdem luebant poenas. — Res quidem durissima, sed ne te fugiet centum dies unicuique caelibi ad tabulas apertas, quo tempore in matrimonium ire licuerit, datas esse. Saepe quoque si propter nimis teneram caelibum iuventutem coniugium erat difficile, rescripto quodam principis, quasi privilegio dato, factum esse, ut caelibes hereditatem accipere possent, verisimile esse iudicamus. —

V.

Sed quoniam de virorum, feminarumque aetate, qua eos nuptias inire oportuit, dictum est; deinceps de tempore disputandum est, quoad Romani caelibatus poenas tulerint. Cuius rei acute responsa affert Ulpianus Tit. XXI. § 3:

„Qui intra sexagesimum, vel quae intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit, licet ipsis legibus post hanc aetatem liberatus est....“

Viri igitur sexaginta et feminae quinquaginta annorum non amplius caelibum poena tenebantur.

Huic quaestioni, altera, quae multo magis plurimorum iuris consultorum caret consensu, coniungi placet. Quaeritur enim, an lege Iulia et Papia Poppaea, qualis Caesare Augusto regnante lata fuerit, quum sexagenariorum et quinquegenariorum poena abolevissent, cautum sit, ne nuptiae sexagenariorum et quinquegenariarum, ex

quibus, quantum coniectare licerit, proles non exspectari posset, inirentur. Inter eos, qui hoc factum censent, enumeres clarissimos iurisprudentiae viros peritos, ut Augustinum (de legib. et S. Ctis), Barn. Brissonium (de iure connub.), Fr. Hotomanum (de legib.) imprimisque Iustum Lipsium (ad Tacit. Annal. Excurs III) et Iac. Gothofredum (Quat. fonts. Lex Iulia d. m. o. II); qui vero lege non esse definitum contendunt: Perizonius (de lege Vocon.) et Heineccius (l. c. lib. II cap. 3); quorum partes, quoad licitum est, sequutus tum. —

Priusquam ad ea affirmanda aggrediamur, mutationes, a Tiberio, Claudio, Neroneque susceptas orborum caelibumque poena liberandorum causa, qui aetatem sexaginta vel quinquaginta annorum degebant, inductas commemorare volo. Audiamus ab Ulpiano praeclare illa verba iam allata (Tit. XVI § 3):

„Qui . . . . . . liberatus esset, perpetuis tamen poenis tenebitur ex S. Cto Perniciano*. Sed Claudiano S. Cto maior sexagenario si minorem quinquagenaria duxerit perinde habebitur ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem. § 4: Quodsi maior quinquagenaria minori sexagenario nupserit impar matrimonium apellatur: et S. Cto Calvitiano iubetur non proficere ad capiendas hereditates et legata, dotesque. Itaque mortua muliere dos caduca erit.“

Id observatione dignum puto, quod S. Ctum. Persicianum, Tiberio regnante anno a. u. c. DCCLXXXVII datum, inde ab hoc tempore caelibum et orborum esse

*) Suetonnius. vit. Claud. cap. 23. S. Ctum Persicianum vocat; hoc ad veritatem propius accedit, quod Tiberii temporibus latum esset, quo regnante Paul. Flavium Persicum notum est, neque ullum Pernicium.

perpetuas statuit poenas. Claudius vero eius mutationem fecit, cum ea, quae sexagenariorum virorum nuptiae cum minoribus quam quinquaginta annos natis coniunctae efficerent ut sint poenae liberae concederet ex S. Cto. Claudiano anno a. u. c. DCCCII habito. Idem probat Suetonius: Claud. c. 23, explanatque S. C. Persicianum iam a nobis citatum:

„Capiti Papiae Poppaeae legis a Tiberio Caesare, quasi sexagenarii generare non possent addito, obrogavit.“

Itaque S. C. Claudianum caput illud legi Papiae ex S. Cto. Persiciano additum derogasse novimus. In illa igitur Papia lege, sicut Augusto regnante lata est, frustra quiddam de sexagenariis vel quinquagenariis *quibus procreandi facultas deesset,* invenies, quippe quum Tiberius caput illud adderet, statueretque primus, nuptias ex quibus proles exspectari non posset, esse prohibitas. Hoc praeceptum obrogatur (i. e. aliquid ex prima lege mutatur. Ulpian. Tit. I § 3) tandem, ut vidimus, S. Cto. Claudiano ita ut nuptiae inter sexagenarios et minores quinquagenariis, quod experientia docuit, ex iis liberos exspectari posse, valerent.

Quo ex praecepto cives lucri quidquid poterant faciebant eoque abusi esse videntur, cum Nerone regnante anno a. u. c. DCCCXIV S. C. Calvisianum certe, nuptias feminae plurisquam quinquaginta annos natae, quam in matrimonium duxerit vir multo iunior, fini nuptiarum i. e. paocreationi liberorum non favere, eamque ob causam non esse legitimas statuerit. Haec vero praecepta Iustinianus omnia abrogavit, concessitque cuiusque aetatis hominum nuptias. cf. Lex 27. Cod. (5. 4.)

„Sancimus nuptias, quae inter masculos vel feminas maiores vel minores sexagenariis vel quinquagenariis lege

Iulia et Papia Poppaea prohibitae sunt homines volentes contrahere, et ex nullo modo vel ex nulla parte tales nuptias impediri.“

Hanc sententiam adversarii nunc in suam vertunt rem, quibus est opinio lege Iulia et Papia Poppea, qualis sub Augusti imperio fuerit, non esse admittendas sexagenariorum et quinquagenariarum nuptias. Eorum argumentatio autem refellitur, si cogites, Iustinianum sub lege Iulia et Papia Poppaea reapse et praeter alias huic annexas mutationes S. Ctis Persiciano, Claudiano et Calvisiano effectas comprehendisse et tum demum prohibitionem, quae illa S. Cta sequebatur lege 27 Cod. cit. derogasse.

VI.

Spadones, de quibus nunc disseremus, poenis non afficiebantur lege Iulia, sed ii tantum, quibus invitis procreandi facultas erat detracta, neque hic nominandi sunt castrati atque eunuchi; cf. Varro apud Nonium Marcellum. D. V. S. cap. 2. N. 289.:

„Qui enim patriam maiorem parentem extinguit, in eo est culpa: quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat, ut ne aliquando liberos producat.“

Etsi spadones caelibum et orborum poenis liberati erant, iis tamen, ut Gothofredus. (Notae ad legem Iulias d. M. O. s. v. spadonibus) putat, ne nuptias inirent non interdictum est. Rem ita se habere ex multis veterum scriptorum locis argumentari liceret, nisi iam citatos quod mihi quidem videtur, ad hunc rem simpliciter proponendam satis ducerem. cf. Iuvenal. sat I v. 22. quo illudit cuiusdam spadonis nuptiis ita:

„Quum tener uxorem ducat spado,
Difficile est satiram non scribere.“

Et lex 39 § 1 Dig (23. 3) ubi de actione dotis nuptiarum talium agitur, haec profert: „Si spadoni mulier nupserit, distinguendum arbitror, castratus fuerit nec ne, ut in castrato dicas dotem non esse, in eo, qui castratus non est, quia est matrimonium et dos, et dotis actio est.“

Quae quidem verba satis docent, legitimum matrimonium non nisi fuisse eorum, qui naturali quodam morbo procreandi facultate essent orbati. *)

VII.

Sed, quoniam de poenis satis, ut credo, dictum est, quibus afficiebantur caelibes, deinceps de eorum genere atque ratione, qui eas dabant: pauca modo, ut disputationis de caelibatu finem faciam, dicenda sunt, quae ad conditionem caelibatus et viduitatis pertinent, testamentis legatisque adhibitam; quae conditio illis imponebatur, qui ex testamento hereditatem vel legatum accepturi erant, lucrum quod, conditione neglecta atque omnina ommissa, eos fugiebat. —

Romae ad Caesaris Augusti usque tempora fiebat plerumque, ut legatis testamentisque heredibus legatariisve conditio caelibatus et viduitatis imponeretur. Quod ea de causa ita institutum esse videtur, quod testatores, quum providerent, talem coercitionem iis perquam utilem putarunt. Testatores igitur impediverunt, quin heredes

*) Has nuptias fieri primus vetuit Leo. cf. Const. XCVIII.

haberent liberos, ut commodis orborum, ante latam legem Iuliam, de quibus disputavimus supra, fruerentur. Eadem finis fuit causa conditionis viduitatis, quippe quum ad Augusti tempora usque, univira in maximo esset honore, et quibusdam usa esset emolumentis, quibus caruerint eae, quae bis nuptae. cf. Festus s. v. Signum Pudicit. „Solis univiris fas erat Fortunae muliebris, matris Matutae et Pudicitiae signum attingere."

Et multo melius: Valerius Maximus Lib. II Cap. I.3.

„Quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae honorabantur.*) Existimabant enim eum praecipue matronae sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositae virginitatis cubile pudicum egredi nesciret; multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimae cuiusdam intemperantiae signum esse credentes."

Itaque viduae denuo nupturae, diebus festis nuptias facere iubebantur ut coram maiore multitudine, quam plerumque erubescerent. (cf. Plutarch. Quaest. Rom. CV.) — Ex his rebus conditionem caelibatus vel viduitatis non inusitatam fuisse et raram merito coniici licet.

---

*) Lapis est apud Thomasium Reinesium (Inscr. class. XIV. 73) in quo T. F. Legalis monimentum fecisse legitur:

„D. M. Reianiae C. F. Maecianae coniugi incomparabili univirae et castissimae."

Etiam Orell. Latinarum Incript. I. 2742:

„Q. Ragoniae Cyriaceti coniugi dulcissime et incomparabili, univire, caste, bone . . . 4540. Hic sita est Arria M. F. Maximilli unibyria quae vixit in connubio Marco Aurelio Augg. lib. felici. An. XIIX. M. VIIII. D. VI. casteque in his annis nunquam marito suo male dixit."

Talem rerum statum lex Iulia et Papia Poppaea omnino mutavit. Haec vero ut notum est, magnopere favebat nuptiis ineundis, deditque etiam univiris viduis poenam si rursum nubendi animus iis defuit. Si igitur quis testamento heredes ad caelibatum viduitatemque adigeret, contra legem ageret. Conditio illa fuit ex ea de causa turpis, et ut omnes aliae conditiones turpes cf. lex 14 Dig. (28.7), pro non scripta habebatur. Lex 72 § 5 Dig. (35.1). Lex 63 § 1. Lex 64 § 1. Lex 79 § 7 eod. Eodem modo conditio illa, ut quis ad arbitrium tertiae personae nupturus erat non valuit. Lex 72 § 4 Dig. eod. Et illa conditio, ut quis certo designatoque ab testatore loco non nuberet inutilis erat, quod probat Terrentius Clemens. Lex 54 § 4 Dig. eod:

„Quod si ita scriptum esset: si Ariciae non nupserit, interesse an fraus legi facta esset; nam si ea esset, quae alicubi nuptias non facile possit invenire, interpretandum ipso iure rescindi, quod fraudanda legis gratia esset adscriptum; legem enim utilem rei publicae, sobolis scilicet procreandae causa latam adiuvandam interpretatione.“

Sin vero conditio illa fuisset, certae personae non nubendi, haec legi contraria non putabatur, ideoque valebat. cf. lex 64 Dig eod:

„Hoc modo legato dato: Si Lucio Titio non nupserit, non esse legi locum Iulianus aiebat.“

Postea conditio viduitatis S. Cto quodam, quod prorsus ignoramus, ita est conversa, ut vidua heres bonorum a viro relictorum sub conditione viduitatis, tum demum exsisteret, si intra primum annum, duobus quidem ultimis anni mensibus (quum propter coniugem mortuum lugere mulierem deceret mensibus ante) iureiurando firmaret, se liberorum quaerendorum causa, sive liberi ab

eadem erant geniti, sive non, rursus esse nupturam. Si iusiurandum non datur, hereditas non nisi cautione Muciana*) conceditur. lex 2.3. Cod (6. 40). Novella XXII cap. 43.

Proeceptum simili modo prorsus innolum Gordianus rescripto cf. lex I. Cod. (6.40), valere vult, quo conditionem illam viduitatis vel a tertia persona impositam vim habere statuit. Omnia haec praecepta non diu admodum vigebant; Iustiniamus enim lege, cui verba proferre liceat, illa removit; lex 2 Cod. (6.40).

„Ambiguitates legis Iuliae Miscellae generali lege tollentes, nullum concedimus fieri iuramentum secundum praedictam legem, sed penitus ea cum Mutiana cautione super hac causa quiescente, licere mulieribus, etiam maritorum suorum interminatione spreta, quae viduitatem eis indicit et non dato sacramento procreandae sobolis gratia tamen ad secundas migrare nuptias, poena huius modi cessante, sive habet liberos, sive non, et ea percipere quae maritus dereliquit.“

De lege Miscella, cuius mentionem modo fecimus, virorum doctorum opinio in contrarias abit partes. Nonnulli eius esse auctorem Iulium Miscellum quendam, qui hac de re singularem legem, sub illo nomine tulerit credunt; quibus autem viris non facile assentiaris, primum quum Miscellus iste prorsus quemque fugiat, (cf. Chlodenius de gentilitate c. 2. in fin.) deinde unius cuiusque auctoris lex, quod ego quidem sentio semper ex duobus nominibus nominata sit. Quamquam Novella XXI. c. 43, quo de lege nostra sermo est ita:

---

*) Cautionem Mucianam ille praestabat, qui hereditatem, quae illi sub conditione aliquid non faciendi impertiebatur, statim sibi acquivere voluit. Lex 7 Dig. (35. 1.)

„*Ὁ γὰρ καλούμενος* Iulios *Μισκέλλας παλαιος (νόμος) ἀρχαῖος, τὸ τῆς παιδοποιΐας προβαλλόμενος σπούδασμα.*“ Nomen Iulios *Μισκέλλας* in vulgata Iulius Miscellus translatum est, tamen Hembergk vertit: „ipsa lex Iulia Miscella,“ ita ut in graeco libro ei legendum esse videatur, *ὁ νόμος*, quod iam causis, quas paulo supra recitavimus, nisi fallor, confirmari posse puto. Potius autem crediderim legem Iuliam Miscellam nullam esse aliam, quam legem Iuliam et Papiam Poppaeam, cum omnibus, quae postea secutae sint modificationibus, a nobis modo de viduitatis conditione expositis; haec enim docent, et nomen „*Miscella*“ et causae in Novella ad finem legis definiendum adhibitae.

Postremo lex nostra de viduitatis conditione ab eodem Iustiniano (cf. Novella XXII c. 44. § 8) immutata est, ita ut conditio, quam faceret vir, valeret.

VIII.

Nunc, quia omnes conditionis partes quantum potero persequi iuvat, dicamus paullisper de ultima caelibatus conditione, quam patroni libertis faciebant, ne iureiurando dato connubium inirent. Quum vero ex XII tabularum lege patroni heredes libertorum, quibus non erant liberi, fierent (cf. Ulpianus tit. XIX § 1) saepe accidisse videtur, ut liberti caelibum modo vivere promitterent.

Quod ita fuisse iam ex lege Aelia Sentia conjici licet, quae praecepit, ut qui libertum iureiurando ad promissionem obligaret, aut hoc fieri pateretur, patronatus iura amitteret, (cf. l. 3 § 5 Dig.) (38. 16) l. 4 Dig. (34, 15) l. 15 Dig. (35, 15) l. 31. 32 pr. Dig. (40. 9) l. 24 Dig. (38. 2) libertus vero ad observandum

obligatus maneret iusiurandum. Id postea ita mutavit lex Iulia et Papia Poppaea ut liberti iusiurandum datum nuptias non iungendi neutiquam obligati essent observare. cf. l. 6 § 4 Dig. (37. 15):

„Lege Iulia de maritandis ordinibus *permittitur* iusiurandum, quod liberto in hoc impositum est, ne uxorem duxerit, libertae ne nuberet, si modo nuptias contrahere recte velint.“

Vox „permittitur“ hoc loco offendit quosdam, sed, ut opinor, non recte; persaepe enim illud verbum pro „remittitur“ legitur: ut pecuniam permittere pro remittere, cf. l. 37 Dig. (2. 14) accusationem permittere pro remittere *) et praeterquam aliis in locis, quos commemorare supervacuum est.

Quum igitur abunde satisfactum est, ut credo, huic toti quaestioni de caelibatus poenis iisque praeceptis coniunctis legis Iuliae et Papiae Poppaeae, ad alteram disputationis partem redeamus, qua complectemur orborum poenas. Quas multo brevius absolvi posse credimus, quum de orbis plurima non amplius in iudicium vocentur et alia quae iam de caelibibus diximus etiam hoc in capite inveniantur, quare repetenda esse non videntur.

§. 6.

Quae fuerint orborum poenae.

Antequam de altero capite dicere instituo, quas personas lex nostra sub nomine orborum comprehenderit, accuratius describendum est.

---

*) Si sequimur Vulgatam in l. 3. Dig. (48: 2.) pro quibus alii verbum statuerunt, „perimere,“ quae omnia idem exprimunt.

Plerumque orbi omnes ii dicuntur et patres, quibus nulla liberorum stirps fuit, vel qui liberos qui iisdem fuerunt, amiserunt, et liberi quoque qui parentibus sunt orbati. cf. Festus s. v. *orba* eos orbos esse dicit, qui patrem aut filios quasi oculos amiserunt. At lex nostra illos tantum quos Graeci *ἀτέκνους* vocant, intelligendos esse statuit, quod verissime esse dictum ex multis locis, qui secundum legem Iuliam de orborum poenis agunt, probari posse videtur. *)

Omnes has poenas Heineccius **) his verbis protulit. „Si qui coniugum, masculus ultra XXV annum, femina ultra XX, orbi erunt, semissem relictorum tantum capiunto. Qui genere proximi erunt, quod relictum est iure antiquo capiunto.“

Eandem viam rationemque quam antea in tractatu de caelibibus secuti sumus, etiam nunc persequamur ita, ut hoc capite diviso, partes separatim perlustremus singularumque veritatem, veterum scriptorum sententiis perspectis patefaciamus.

I.

Primum igitur, ut iam supra diximus orbi ex testamento legatisque nonnisi semissem capere poterant. Quae ut affirmem nonnullos scriptorum locos, in caelibum capite memoratos revocare in mentem liceat. cf. Tertullianus de monog.

---

*) Cf. Gaius II. 111. orbi i. e. qui liberos non habent.

**) Loc. cit. Lib. II. cap. 37.

„Aliud est, si apud Christum legibus Iuliis agi credunt et existimant, caelibes et orbos ex testamento Dei solidum non posse capere."

Et Eusebius in Vit. Const. Lib. IV c. XXVI. „τοὺς παλαιοὺς νόμους ἄπαιδας στηρῆσαι τῆς τῶν γονίμων διαδοχῆς (Leges veteres orbos propinquorum successione privasse).

Patet igitur orbos exemptos esse successione; sin vero hanc sententiam generaliter intellexeris, magnum in errorem induceréris; ex aliis enim veterum locis orbos minoribus poenis esse affectos quam caelibes, et maximo quidem iure, scimus; etsi poenae id spectabant, ut liberorum procreationi faveretur, tamen caelibes maiore poena digniores fuerunt orbis, cum nihil ut legi obsequerentur satis fecissent, contra orbi quantum possent nuptiis iunctis legi paruissent.

Itaque Sozomenos Hist. Eccles. I. 9. dicit, orbis semissem tantum testamenti legatorumve detrahi:

Νόμος ἦν Ρωμαίοις παλαιοῖς, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν τῶν ἴσων ἀξιοῦσθαι κολύων . . . . . . τοὺς μὴ γένει ἐγγυτάτῳ προσήκοντας . . . τοὺς δὲ ἄπαιδας ζημιῶν τῷ ἡμισῦ τῶν καταλελειμένων.

et Gaius Com. II. § 111: „Caelibes quoque qui lege Iulia hereditatem legataque capere vetantur, item orbi, id est, qui liberos non habent, quos lex" . . . .

desunt hoc loco verba quorum sensus ex eiusdem libri § 286 facile cognosci potest; ibi legimus ita:

„Item orbi qui per legem Papiam ob id quod liberos non habebunt, dimidias partes legatorum hereditatumque perdunt . . . ."

Qui loci, quos modo adduximus e veteribus scriptis satis probant, orbos semissis tantum iactura hereditatum legatorumque ob orbitatem esse punitos. Ut caelibibus

sic orbis quoque capere fideicommissa licebat, quae primum eximebantur S. Cto Pegasiano, cuius in caelibum capite iam mentionem fecimus. cf. Gaius l. c.

II.

Tempus, quo lex a viris posceret ut liberos e matrimonio haberent incoepit XXV aetatis, a mulieribus autem XX. (Ex lege Papia prior annus, nobis quidem ignotus, erat, annus autem legis Iuliae a Severo restitutus est. cf. Tertullian. Apol. c. 4). cf. Ulpianus qui in Titulo XVI. perspicue scribit:

„Aliquando vir et uxor inter se solidum capere possunt: velut si uterque vel alteruter eorum nondum eius aetatis sunt, qua lex liberos exigit: id est si vir minor annorum XXV sit aut uxor annorum XX minor.“

Annus vero, quo omnes poenae cessabant iisdem proeceptis regebatur, quae supra in iure caelibum exposuimus. —

Si igitur vir XXV annos natus et foemina XX essent, in numero orborum haberi lex voluit, si ex matrimonio iis liberi non superessent, et semissem tantum hereditatum legatorumque iis concessit.

III.

Sed orbi non solum ii dicebantur, quibus liberi non erant, sed etiam, qui eos amiserant quocumque modo. Ideo iis eadem poena ac illis, qui liberis operam non

dederant idque adparet ex Ulpiani loco quodam, ubi successio inter maritos liberis amissis erat concessa, *non sine aliquo discrimine*; cf. l. c:

„Aliquand vir et uxos inter se solidum capere possunt, aut . . . . aut si filium filiamve communem habeant; aut quatuordecim annorum filium vel filiam duodecim amiserint: vel si duos trimos vel tres post nominum diem amiserint.“

Lex eius regulae, qua liberi mortui a poenis non liberaverint orbos, hanc admisit exceptionem, si in bello civitati servientes mortem obierunt. Tales orbos exemptos fuisse ex fragm. Vat. § 197 patet, quaestione proposita, an liberi bello amissi tutela liberarint.

„An bello amissi a tutela excusare debeant? Nam et in fascibus sumendis et in iudicandi munere pro superstitibus habentur, ut lege Iulia de maritandis ordinibus de fascibus sumendis et publicorum capite vicesimo sexto item privatorum capite vicesimo octavo de iudicando cavetur. Et puto constituendum ut et a tulela excusent.“ At vero liberis quos hostis ceperat liberandi potestas non fuit. cf. lex 1 Cod. (10. 51) lex 141 Dig. (d. V. S.)

IV.

Si quis orborum poenas vitare vellet, ingenuam tres libertamque quatuor liberos habere oportebat. cf. Paulus. Sent. Rec. IV. 9. § 1. 7; — virum autem unum saltem. Hoc legis proecepto fisus, adulter quidem consolatur placatque coniugis irati animum, quum ab uxore perfida esset desertus. Iuvenal Sat. IX. vers. 83. 86 sq.

„Nullum ergo meritum est, ingratum ac perfide nullum
Quod tibi filiolus vel filia nascitur ex me?
Iam pater es........
Iura parentis habes, propter me scriberis heres;
Legatum omne capis nec non et dulce caducum!"

Nihil etiam interfuit utrum liberi iusti an iniusti lege fuerint. Si liberi iniusti lege tutela liberabant, eos orbitatis quoque poenas removisse ad verum quam proxime accedit, quum illud caput, quo numerus liberorum certus tutela liberaret, ad legem nostram et inter paternitatis bona pertineret. cf. Vat. fragm. § 194:

„Iusti autem an iniusti, filii non requiritur: multo minus in potestate nec ne sint."

Eius autem sententiae, omnia quae tutela liberaverint etiam omnes orbitatis effectus sustulisse, gravissimum praebet argumentum Vatic. frag. § 195, quo perspicue eadem regula non minus ad orborum poenas refertur:

„Ex filia nepotes prodesse ad tutelae liberationem sicuti nec ad caducorum vindicationem palam est." *)

---

*) Si autem verum est liberos iniustos orbitatis poenis liberare, multae perquam graves questiones hoc loco non omittendae erui queunt. — Praeter omnia inde sequi videtur, ut caelibem ex lege Iulia etiam orbum esse non oporteret, quod autem non significat eum qui non orbus sit, etiam non caelibem esse. Attamen hoc ita fuisse credere licet nam patres, quia patres erant, iactura hereditatis dimidiae liberati erant, nihilominus totam hereditatem amitterent necesse erat, quippe cum semper caelibes manerent et eorum poenas subirent. Quare pro certo putari posse mihi videtur, eos, qui ex legis Iuliae natura innupti erant, liberis tamen gavisi sunt, in caelibum numero non habitos esse. Dixi de innuptis, quales lex Iulia intelligit; nihil aliud cognoscas velim, nisi licuisse nupto esse, quamvis lex Inlia talem nuptum

Eodem modo huc referendi sunt liberi adoptati, qui idem ac illi valebant; quo Romani, ut lege abuterentur, saepe inducebantur, neque multo post emancipabantur.

---

putavit caelibem. Itaque liberos ex matrimonio, non secundum legem inito, procreatos, iniustos fuisse facile credo. Quam rem ut omnibus numeris absolvam, proecepta legis Iuliae et Papiae de matrimonio accuratius contemplari mihi liceat; id quod ut disputationi meae includam, omnino ad recte cognoscendum necessarium apparet.

Quum enim caelibatus inter ea mala habendus sit, quae Caesari Augusto maximae fuerit curae, illum summo opere studuisse, ut nuptiae omnimodo sublevarentur, infitiandum non est. Itaque praeceptum perquam grave primum edidit, quod his fere verbis pronuntiatum fuisse credimus: (cf. Heineccius l. c. Lib. I. Cap. V. 2.) „Omnibus ingenuis libertinam uxorem habere liceto, neve quid eis, qui duxerint, liberisve ex eo matrimonio natis fraudi ignominaeve esto.“ cf. Dio Cass. LIV. 16. Idem praeceptum legis illius Canuleiae continuationem esse credas velim quae nuptias inter patricios plebeiosque concederet. Multo magis autem lex Iulia progreditur, ea enim liberis permittit libertos sibi matrimonio coniungere. Quam libertatem nuptiarum ineundarum nonnullis tamen modis videmus coërcitam, et recte hoc factum censemus. Id enim qua de causa lex Canuleia lata sit, relatum est ad reipublicae rationes, lex nostra autem potissimum ad mores corrigendos. Quae res satis nos docet quare legislator nuptiis faciendis modum facturus praecepta illa, quae Ulpianus memoriae prodidit, ederet: cf. frg. Tit. XIII. §. 2.:

„Ceteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, et a lenone manumissam et in adulterio deprehensam et iudicio publico damnatam, et quae artem ludicram fecerit; adicit Marcianus et a Senata damnatam.“

Porro ob nuptias moderandas, leges, quae in bonos valebant mores, ferebantur, ne auctoritas senatorum bellis civilibus imminuta, non minus quam reliquorum magistratuum nuptiis dehonestatis caderet; patet id ex Pauli lib. I. ad Legem Iuliam et Papiam. lex 44 pr. Dig. (23. 2.)

Ne legi amplius pararetur fraus, S. Clo. Memmiano Nerone regnante cautum est. cf. Tacitus Annal. lib. XV. c. 19:

„Lege Iulia item cavetur: Qui Senator est, quive filius, neposve ex filio proneposve ex filio nato cuius eorum est, erit, ne quis eorum sponsam uxoremve sciens dolo malo habeto, libertinam, aut eam quae ipsa, cuius pater materve artem ludicram facit fecerit; neve senatoris filia neptisve ex filio, proneptisve ex nepote filio nato, nata libertino eis qui ipse cuiusve pater materve artem ludicram facit, fecerit, sponsa nuptave sciens dolo malo esto; neve quis eorum dolo malo sciens sponsam uxoremve eam habeto.“

Ab huius capitis nomine lex Iulia appellata est de maritandis ordinibus, ex quo hoc primum legis nostrae caput fuisse apparet. cf. Dio Cassius lib. LIV. c. 16. Ulpian. tit. XVI. §. 2. Tit. XIII. §. 1. 2. Hi fuerunt quibus lex nostra circumscripta fuit fines. Sed ne credas cave ex eis praeceptis qualia Augustus tulerit, nuptias contra legem factas nullas fuisse. Nuptiae enim manserunt, at commoda tantum, quae nuptiis legitimis dari solebant, eis detrahebantur. Itaque Terrentius Clemens lib. VIII. ad Leg. Iul. et. Pap. Lex 48. §. 1. Dig. (23. 2.)

„Si ignominiosam libertam suam patronus uxorem duxerit, placet, quia contra legem maritus sit, non habere eum hoc legis beneficium.“

Qui igitur ex hoc matrimonio non legitimo erant nati, liberi iniusti nominabantur, quorum mentionem facit locus ille fragmentorum Vecticanorum. Simulac igitur tales liberi nati sunt, credere possumus, liberos, quorum parentes in matrimonio non legitimo degentes id observaverint quod lex spectabat (id est procreationi liberorum) non amplius ad caelibes orbosque esse numeratos, quod antea fieri solebat. —

Non aliter liberos iniustos causam a poenis coelibum orborumque liberandi fuisse explicari potest; res facile intellectu, si argumentorum modo quae exposuimus fidem tribueris.

„Factum est ex eo S. Ctum ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici iuvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.“

Qui liberi emancipati, aliisque a viris adoptati causa fuerunt liberandae poenae. cf. Vat. fragm. § 169:

„In adoptionem dati ad hanc causam proderunt.“

Ceterum liberi vivi aptique ad vivendum sint necesse erat. cf. Paulus. Sent. Rec. IV. 9.1.

„Matres tam ingenuae, quam libertinae, cives Romanae, ut ius Romanorum consecutae videantur ter et quater peperisse sufficiet, *dummodo vivos et pleni temporis pariunt.*

Tum ne sint monstra. cf. Paulus l. c. „Mulier, si monstrosum aliquid, aut prodigiosum enixa sit nihil proficiat.“ An portenta sint nil refert. cf. Paulus l. c. „Partum si membrorum humanorum officia ampliavit, quia hac ratione aliquatenus videtur affectus, matri prodesse placuit.“ Iam ad poenas removendas infans e matris utero sectus sufficiebat, vel non multo post matris obitum e captivitate filius reversus. cf. Lex 141 Dig (d. V. S.) — Denique si quaeras, an infans intra centum cretionis dies natus poenis liberet, hoc, etiam veterum testimonia desunt, affirmandum esse puto, cum id non solum e legis natura qualis fuerit, elici possit, sed etiam centum ipsi cretionis dies, caelibi ex testatoris morte, ad tabulas usque aperiendas concessi satis probent.

V.

Postremum ea restat quaestio, utrum orbi a successione proximorum exclusi sint nec ne? Ad hanc qui respiciunt veterum loci, prorsus inter se repugnant duo,

saepe laudati Sozomeni hist. Ecles. lib. I § 9. et Eusebii Vita Const. lib. IV. Cap. 26. Ille profert caelibes orbosque, illos totam hereditatem, hos vero dimidiam a nemine acquirere potuisse, exceptis proximis „τοὺς μὴ γένει ἐγγυτάτῳ προσήκοντας. — Contra Eusebius generaliter, neque quidquam arctius denotans, leges veteres orbos propinquorum sucassione privasse. — Quam opinionum discrepantiam, quantacunque esse videatur, facillime tollendam esse credo, si Eusebio fidem omnino abrogare conamur. Neque hoc immerito facere videmur, quum Gaii vere dicta, quae supra iam commemoravimus, orbos tantum modo dimidia cessisse hereditate nos doceant. Si igitur Eusebius eius rei testis non est, etiam eum auctorem successionis proximorum sequi vetamus. Quo modo autem acciderit, ut Eusebius caput illud Iuliae de orbis non bene intellexerit, ex eo coniici licet, quod Constantinum propter poenas abragandas magnopere laudaturus erat. Quem quum propter eius in legibus emendandis studium maximis efferret laudibus, panegyricorum more in adversam partem invehens caput legis Iuliae de orbis quam severissimum atque iniustissimum increparet. Itaque orbos a proximis hereditatum nihil capere potuisse nos docet; sed potius Sozomeno credere libet, quem id fieri posse dixisse audivimus. Quae cum ita sint, quaeramus necesse est, ad quem gradum cognationis lex valuerit? Quod ad caelibatum attinet, sextum gradum singulisque autem casibus septimum hereditatem cepisse credere nobis videmur. Huius rei causae, quas Ulpiani titulus XVI § 1 et Vatic. fragm. § 216-219 continent, supra quum de caelibatus poenis sermo fuit, a nobis expositae sunt.

§. 7.

Adnotata.

De iis, ad quos Caduca transferebantur.

Quum igitur poenas caelibatus orbitatisque exposuimus, unum restat, ut pauca de iis dicamus, qui hereditates legata atque fideicommissa sive tota, sive dimidia, personis supra descriptis ablata et inde caduca facta, acciperent. Etsi multi sunt, qui leges nostras omnino fiscum redolere contendant, eorum opinio hoc loco optime refutari potest. Quae enim caelibibus orbisque eripiebantur, ea postremo tantum ad fiscum pervenerunt, si heredes qui fisco praeferebantur, non aderant. At quo magis leges nostras defendamus, non praetereundum est, id, quod his iniuste quasi eripi videretur, ad eos translatum fuisse, qui nuptiis liberisque procreandis reipublicae saluti bene prospexissent. Quibus, quae ipsorum culpa illis detraxerat, merita reddebant. cf. Gaius Comm. lib. II. §. 286:

„Eaque (caduca) translata sunt ad eos, qui testamento liberos habent, aut si nullos liberos habebunt, ad populum, sicuti iuris est in hereditatibus.“

Itaque ad grave illud ius accrescendi pervenimus, cui maxima rapacitatis fisci refutatio inerat. Quoties testamentum vel legatum caducum erat, ex accrescendi iure, quod lex Iulia et Papia circumscripserat ad eos, (et cum onere quidem cf. Ulpian. figm. Tit. XVII. §. 3.) perveniebant, quos Gaius l. c. II. §. 286 enumerat:

„Post legem vero Papiam deficientis portio caduca fit et ad eos pertinet, qui in testamento liberos habent·

§. 287: Et quamvis prima causa sit in caducis vindicandis heredum, liberos habentium, deinde si heredes liberos non habent legatariorum liberos habentium: tamen ipsa lege Papia significatur ut collegatarius coniunctus, si liberos habeat, potior sit heredibus etiamsi liberos habebunt." cf. etiam Ulpian Tit. I. §. 21.

Qui autem, praeterquam fisco praeferebantur, nominandi sunt descendentes testatorisque asendentes ad tertium usque gradum, etiamsi liberos non habebant, dummodo heredes testamento instituti essent, cum, Ulpiano Tit. XVIII § 1. et Tit. XVI. § 2 teste, ex Lege Papia ius antiquum iis relinquebatur, de quo etiam Iustinianus legem nostram abrogans in leg. un. princ. Cod. (6. 51) loquitur:

„Et quum lex Papia iùs antiquum, quod ante eam in omnibus simpliciter versabatur, suis machinationibus et angustiis circumcludens, solis parentibus et liberis testatoris usque ad tertium gradum, si scripti fuerant heredes, suum imponere iugum erubuit, ius antiquum intactum eis conservans, nos omnibus nostris subiectis sine differentia personarum concedimus."

Itaque certum est, post ascendentes, descendentes ad tertium usque gradum omnesque alios, quibus in testamento aliquid legatum erat et qui habebant liberos, post collegatarium coniunctum fisco hereditatem obtigisse, et iure quidem ut Tacitus. Annal. Lib. III cap. 28 dicit:

„Lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret" —
id est aerarium publicum bona quibus dominus non esset occupabat. —

cf. Ulpian. Tit. XVII de caduc. et Gaius Comment. lib. II. § 286.

§. 8.

De caelibum orborumque poenis a Constantino sublatis.

Cum iam supra non solum caelibum orborumque poenas liberae reipublicae tempore exponere sed etiam durissima proecepta, quae lex Iulia et Papia addiderit, describere conati simus nunc placet historiam poenarum, temporum sequentium, paucis verbis perlustrare; paucis dico, nam poenis caelibum orborum que expositis earum varietates etiam tempore imperatorum explicavi. Restat igitur, ut brevissime poenarum fata absolvamus. Vix dicendum puto, idem odium perpetuamque oppugnandi Romanorum voluntatem, ut, quum lex ferreretur, vidimus etiam per omne imperatorum tempus mansisse.

Cuius rei causa Romanis fortasse venia danda est, quos sensisse credam, poenas illas, quae attingerent rei familiaris libertatem, tamen inutiles fore. Malum fuit ingens, neque fieri potuit, quin his remediis propulsaretur. Et reapse qualis status Romae urbis cui imperabant imperatores eo tempore? qui mores virorum feminarumque, quae vita omnibus vitiis dedita? ut non modo ingravesceret in dies, sed etiam in insaniam augeretur. Poenae invalidae, quae corpus tantum offendebant! Et sine spe salutis antiquus mundus libidimum squalore interiisset, nisi eodem fere tempore ab altera nec opinata parte divino usus esset auxilio.

Christianae illae leges exstiterunt, quae non corpus afficerent poenis, sed potius ad animum erigendum respicerent. Verum nulla alia re nisi honestate valebant ad mores hominum emendandas, et tantum aberant, ut nuptiis coactis liberisque procreandis vim in libidines tollendas exercerent. — Itaque mirandum non est, quod primus imperator Christianus consilium caelibum orborumque poena abolendi coepit. Earum vim non magni momenti fuisse satis iam illius temporis historia et squalor ille generis humani ostendit. Quum igitur Constantinus imperator has leges in omne tempus removisset, clarissimi scriptores Eusebius in vita Const. lib. IV c. 26. et Sozomenos in hist. Eccles. lib. I c. 9. laudando inter se certant; qui dicit legem Constantinum promulgasse, quae iubebat, ut, cum caelibes, tum liberis carentes pari iure cum ceteris omnibus fruerentur:

„*καὶ νόμον τῷ δήμῳ προσεφώνησεν ὥστε ἐπ' ἴσης πάντων τῶν ὁμοίων ἀπολαύειν τοὺς ἀγάμους τέ καὶ ἄπαιδας.*“

Quam sententiam si intelligis sensu latissimo, a veritate recedis, quod a Constantio caelibum orborumque poenis abrogatis, omnibus, omnia parentum proemia data non sunt, quod demum ab Iustiano esse factum, compertum est. — Ea quae Constantinus iusserat, cum Codex Iustinianus de hac re praeceptum receperit, notissima sunt. Editum est anno CCCXX p. Chr. n. Kal. April. Romae. Constantino A. VI et Constantino C. Coss Eius verba haec sunt:

„Qui iure vetere caelibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita vivent ut si numero maritorum matrimonii foedere fulcirentur, sitque omnibus aequa conditio capessendi, quod quisque mereatur. Nec vero quisquam orbus habeatur. Proposita

huic nomini damna non noceeant. Quam rem et circa feminas aestimamus, earumque cervicibus imposita iuris imperia, velut quaedam iuga solvimus promiscue omnibus.“ Lex 1. Cod. (8.58).

Tali modo quae Caesar Augustus tanto studio tamque admirabili perseverantia perfecerat, atque in publicum civitatis conservandae causa proposuerat, evertit Constantinus. Quam ille legem causis moralibus, ut ita dicam, motus pertulit, hic eisdem de causis abrogavit. Ille suscepit odium, hic laudem omniumque plausus.*)

---

*) Ineptum illud praeceptum imperatoris Maioriani, ut viduae minores XL. annis, intra quinque annos nuptias denuo inirent, aut dimidia rei familiaris iactura, qnae praebebatur proximis, more Christiano cultui divino in monasterio sacrarentur (cf. Novel. Mai. 8.) cum nullum effectum sit nactum, vix memoratu hoc loco dignum.

VITA.

Ego *Rodericus Potocki* natus sum die XXVII. m. Augusti a. MDCCCXXXIV. patre *Henrico* comite *Potocki*, matre *Helena* e gente principum *Solicoviorum* *) oriunda, quos inter vivos adhuc mihi servavit numinis providentia, in urbe „Reisen" in magno ducatu Posnaniensi sita. Catholicae fidei addictus primisque elementis imbutus in parentum meorum villa in regno Poloniae sita, transii in gymnasium Sti. Mathiae Vratislaviae, ubi per quinque annos commoratus optimorum praeceptorum humanitate et eruditione fruitus sum. Unde maturitatis testimonio munitus a. MDCCCLI. in Academiam Iagellonicam, Cracoviae, abii, ubi ordini iurisconsultorum adscriptus studio iuris et cameralium maximam quam potui navavi operam. Praeter alios vv. dd. de Encyclopaedia et Methodologia iuris docentem audivi v. d. *Rzesinski* †. De Oeconomia publica et Statistice v. d. *Dunajewski* scholis adfui. Apud v. d. *Helcel* historiam audivi iuris Polonici et apud v. d. *Zielonacki* ius Romanum privatum; quorum uterque subito primo die Ianuarii a. MDCCCLIII. munere publico fungi vetitus est. Itaque praeceptoribus orbatus, patris mei voluntati, ut in universitate litterarum Fridericia Guilelmia Rhenana studia iurisprudentiae continuarem,

*) Polonice Sulkowski.

laeto obsequutus sum animo. Mense Aprilis a. MDCCCLIII., Rectore magnifico v. cl. *Hilgers*, Decano v. cl. *Deiters* numero studiosorum adscriptus sum; et per duos annos, dum hic versor, scholas vv. cc. dd. *Bluhmii Boeckingii, Dahlmanni*, *Deitersii*, *Haelschneri*, *Perthesii*, *Sellii*, *Walteri*, *Anschütz* frequentavi.

Quibus viris omnibus cum maximas quas debeo agam gratias: tum praecipue, *Sellio* singulari studiorum meorum moderatori, cuius praeclara disciplina, humanitate et eruditione fruitus sum, et *Waltero*, qui, summa me humanitate amplexus ubique optimis consiliis benigne me adiuvare nunquam desiit.

Theses defendendae.

I. Fratribus sororibusque beneficium competentiae concessum non est.

II. Universitas delictum committere non potest.

III. Iuris Romani praeceptum pictorem fieri dominum picturae, etsi dominus materiae, in qua pinxit, non sit, ad imagines, quae „Daguerrotyp-Bilder" vel „Photographien" vocantur, non pertinet.

IV. Lex Iulia de maritandis ordinibus lata est primum anno a. u. c. DCCXXVI.

V. Matrimonium conscientiae nullum.

VI. Non tantum feuda regni, sed etiam privata in Polonia quondam exstiterunt. —
